

68.

Vir amplissime!

Habui nuper Tuas d. 6. Martii.

In flora Tua sub *Cineraria* mea *alpina* habes istas varietates β . γ . δ . an etiamnum credas omnes has esse varietates.

Ultimis de 6. Martii dicis me non responsoria dedisse ad Orobum pannonicum et Scandicem infestam, sed dedi certissime.

Quaesivi et in Bibliotheca et in praedio figuram missam Orobi pannonici, et quidem studiosissime, nec inter tam multa potui eam reperire.

De Scandice infesta memini optime me scripsisse et dixisse figuram et descriptionem exstare in Actis petropolitani penultimis, quae evolvas . infesta dicta fuit ab aliis ob semina vestibus adhaerentia.

Selinum austriacum non determino ex figura, sunt tam multa Selina quae nullus determinabit, Te excepto, qui habes has omnes vivas.

Academiae nostrae Bibliothecario ostendam ea quae scripsisti de Tuo opere, et ipsi relinquam; ceterum me his non facile immisceo. Misi quondam pecunias pro Horto Malabarico, empto in auctione Strumpfiana, ad D. Profess..... nec umquam obtinimus libros. Petii a Bibliothecario quod emeret Insecta Schaeferi, accepimus priorem tomum et ille pecunias, sed alterum non accepimus, et tamen Schaeferus a me postulabat pecunias, quas Bibliothecarius non solvere voluit, nisi obtento libro, ab eo tempore non facile his negotiis me immisceo; caeterum si opus accedat, paratam esse pecuniam ne dubites.

Sinapis juncea est omnino.

Mitto inclusa semina pro horto Tuo, sub dio serenda.